

**Dissertatio inauguralis medica de productis apum ... / submittit Franciscus Sebastianus Feyrtag de Festis.**

**Contributors**

Festis, Franz Sebastian Feiertag de.  
Universität Wien.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Viennae : Typis Frederici Christiani Wappler, 1784.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a864pwmz>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

PRODUCTIS

APU M,

QUAM

ANNUENTE INCLYTA

FACULTATE MEDICA

PRO

CONSEQUENDA DOCTORATUS  
LAUREA

IN

ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE

VINDOBONENSI

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

FRANCISCUS SEBASTIANUS

FEYRTAG DE FESTIS

MERANENSIS TYROLENSIS

PHILOSOPHIÆ MAGISTER.

---


*Vienna,*

Typis Friderici Christiani Wappler.


---

I 7 8 4.










## De Cera.

---

**D**uo sunt, de quibus in præsentî dissertatione agendum duxi, de Melle, & Cera, utpote productis apum præstantissimis, quæ quemadmodum ab apibus magno cum labore, & sedulitate colliguntur, & stupendo certe spectaculo elaborantur, ita etiam gratissima, & maxime nobis expetita sunt, qui ingrati erga hanc indefessam Rempubicam fructum laborum suorum sæpe prodige diffundimus, & luxu in dies cariorem reddimus. Ea propter adlaborandum est, ut majori






copia mel & cera in nostris regionibus producantur, ni ea nobis ab exteris majori pretio comparare velimus; prius cur obtinere non posset, haud video, primo enim requisito, seu gradu, ut cum Cl. Reaumur dicam, ad ceram ædificandam pascuis videlicet, non destituimur, at operarii desiderantur, qui hanc conficere valeant, hinc medium exquirendum, quo agricolæ ad apes numero, sedulitateque majori collendas allicerentur, quod optimum, si præmiis, quibus nil hominem ad virtutem, & labores excitandum aptius, agricolæ animarentur; plura hac de re in medium proferre possem, quæ cum non sint hujus loci, iis supersedebo, & ad institutum revertar.

## §. II.

Primo loco igitur mihi de Cera sermo erit, tum de Melle. Cera est substantia dura, ad calorem ductilis, majori calore liquecens, inflammabilis, in frigore durtiem friabilem acquirens, aqua levior, spiritu vini gravior, resinosa, pinguis, odoris & saporis expers; Germ. *Wachs*, Gallicis *la Cire*, Bohemis *Wost*, Græcis *Κηρος*, Anglis *Wax*.

## §. III.






## §. III.

Hæc est absoluta Cerae descriptio, Apia-  
rii vero sub nomine cerae favos intelligunt,  
in queis foetus hæret, Columella Clerum  
appellat, & an inde noster Clerus originem  
ducat, quærit Overbek.

## §. IV.

Favi ergo sub nomine venit Cera,  
quam apes miro certe modo in tenuissimas  
lamellas formant, has artificiose sibi agglu-  
tinando cellulas formant, ex queis juxta  
feriem sibi locatis favos multicavatos fi-  
gunt; qui proinde a nonnullis crates favo-  
rum appellari solent, Genesis hujus voca-  
buli est a fovendo, cum in has cellulas ova  
apium tam operariorum, quam fucorum, &  
nonnulla fœminina deponantur, ab opera-  
riis foveantur, calore sic orto excludun-  
tur, & postea adolefcunt.






## §. V.

Hæ cavitates, seu cellulæ perfectissimæ hexagonam figuram referunt, & harum tres diversæ species notantur: Prima species est Uber seu fistula regia, Est cellula paulo major, nec hexagona, sed glandis figuram referens, in hac regii generis proles, seu nova Mater animatur. Plerumque unica tantum est, interdum vero etiam plures inveniuntur, & in fine seu margine favorum operariorum exstructa dependet; *Germanis*, Waiselhaus, *Nostratibus* Waiselwiege, *Gallis* La cellule du Roi, de la Reine, *Græcis* Κηριος τῆ βασιλεως, *Anglis* Metherly House.

Secundam speciem ædicularum cerearum constituunt fucorum fistulæ, seu crates, sunt cellulæ hexagonæ paulo latiores, & profundiores, quam operariorum, in queis fuci generantur: *Germ.* Drohnen Cellen, *Gallis* Cellules des Bourdous, *Græcis* τῶν σχαδουῶν — κυτταρια, *Anglis* Meebees Houses —

Tertia species sunt foramina seu fistulæ plebeji seminis, in quibus nempe operariæ  
ex-






excluduntur, hæ cellulis fucorum sunt analogæ minores his, sed copiosiores: *Germ.* Bienen Cellen, *Bienen Wachs*, *Gallis* Cellules des abeilles ordinaires, *Græcis* Κυρος κυτταριον, *Anglis* Houses of Bees ordinaries.

## §. VI.

Numerus cellularum seu fistularum omnium variat pro magnitudine actus, seu favorum, & pro ratione capacitatis alvearis. Magnus Swammerdam in uno alveari 22573. cellulas numeravit, nempe 7824 proliferas, 14750 melliferas. In centenis aliquot harum domuncularum juxta Cl. Reaumur mares fuci enutriuntur, & adolefcunt, quorum 800 reperiit; in paucis quibusdam sæmellæ seu reginæ generantur, queis peculiaris locus, seu uber, utpote capacios, quemadmodum jam dictum est, extruitur, talia ubera octo decem in uno alveari interdum profiant, plerumque autem unicum tantum, aut duo, exclusa itaque Regina certus numerus apium examen, seu coloniam ducit, aptum locum sibi eligit, & novam Rempubl. constituit, quam si appiarius excipiat, & in alveare recondat, novum alveare habet; in reliquis cellulis apes vul-





gares educantur, quarum 30 — 40,000 sæpius in uno alveari Reaumur numeravit,

## §. VII.

Marium æque, ac fæmellarum cellulæ vacuæ sæpe reperiuntur, at apium vulgarium ædiculæ pro maxima parte repletæ, operculisque ex cera confectis obfignatæ sunt, in quibusdam ejusmodi fistulis obfignatis Nymphæ delitescunt, seu apium vermiculi, ex queis apes plerumque intra 14. dies adultæ evolant; in aliis mel asservatur.

## §. VIII.

Reliquæ cellulæ apium vulgarium apertæ patent, & harum nonnullæ ovula continent, aliæ vermiculos recenter ovis exclusos, qui ad latera undique requisito alimento ex pane confecto circumdati sunt, vermiculos albos adultiores gerunt aliæ, aliæ vermes incrementi plenitudinem adeptos, qui ab apium cultoribus proles, progenies, seu juvenus nominantur.

## §. IX.




## §. IX.

Inter cellulas obfignatas hærent quædam aliæ cellulæ, materiam quamdam continentes, quæ quasi per strata coacervatur, & varios colores exhibet, sique degustetur, dulcedinis sensum prodit: hæc materies *Panis* seu *cibus* apum audit, & est pollen antherarum cum melle mixtum, ab aliis etiam *Sandaraca* vocatur, & nutrimentum prolium esse statuitur: hoc etiam apes alvi fluxu laborantes sibi mederi dicuntur. Swammerdam, Reaumur, & alii Sandaracam hanc rudimentum ceræ censent: ast hodie certum magis est, ceram aliam habere originem. Sandaraca seu panis *Germ.* vocatur *Immenbrod*, *Blumenstaub*, *Gallis* *Le Sandarac*, *Græcis* *Πολλευ*, *Anglis* *Dust of flower*.

## §. X.

De origine ceræ in varias opiniones abiire egregii hac in arte viri. Alii enim hanc ex gemmis arborum, alii ex parte quadam floris nobis ignota, qua talem colligi; ex Polline antherarum præparari alii





asseruerunt, quin ipsum magnum Swammerdam, & Reaumur origo ceræ latuit, qui Moraldi sententiam tuebantur, & ceram ex pane antea nominato, seu sandaraca confici scripsere.

## §. XI.

Hodie vero a Melitophilo Theorebafte \* certiora edocti sumus, ita, ut infallibili experimento concludere possimus, ceram ex melle ab apibus assumpto præparari, eamque intra annulos seu segmenta exsudare, quod Dominus Professor Münzberg publice ad oculum sæpius demonstravit, & lemmas, seu lamellulam talem acicula extraxit; hi annuli, qui in modum squammarum, seu segmentorum sibi incumbunt, sunt ergo organa, in quibus ceram exsudatam in tenuissimas lamellas conformant; quas summa velocitate pedibus extrahere, apteque cel-  
lu-

---

\* Nomen fictum est, is enim Herm. Christ. Hornbostel vocabatur, & primarius Concionator germanus Hamburgi erat.



læ exstruendæ agglutinare norunt; sic si in alveare vacuum apes expellantur, & occluduntur, soloque melle liquato pascantur, ceram, seu favos exstruunt; unde patet, ceram ab apibus ex melle præparari assumto, cum hoc in experimento polline careant, nec iis exitus detur, simile experimentum Excell. Comes de Shmettau \* instituit.

## §. XII.

Hæc proprie cera est, quæ nativa audit, seu virginea, ex qua cellulas hexagonas septo intermedio decurrenti ex utraque parte oblique ita agglutinant, ut lumen altius sit fundo, quod hanc utilitatem habet, ne mel, aut panis contentus elabi possit.

## §. XIII.

Favi parallele decurrunt, & intergeninas tantæ latitudinis formant, ut duæ apes

---

\* 5te Summarische Hauptanzeige der Bienengesellschaft in Oberlausitz. 1770. 6. C.





apes sibi occurrentes semita cedere possint, hi superiori tabulæ agglutinati sunt, inferiorius autem libere pendent.

#### §. XIV.

Color naturalis ceræ est albus, qui a continuo prolis fotu sensim fuscus redditur; hoc vero præverti posse asserit Exper. Schirach \* si liberior aeri accessus concedatur; flavus color dependet a melle ei adhærente, a quo liberari potest, si fundatur, aquæ calidæ affundatur, & quieti reponatur, ut iterum solidescat, tum oriuntur hac ratione tenuissimæ lamellulæ, quæ si aeri, & soli sæpius exponantur, albescunt, quod Germanis vocatur: *Wachsbleichen*.

#### §. XV.

Principia ceræ sunt oleum, terra, acidum, aqua, sic sedecim uncia supdeditate destillatione uncias tres cum dimidia olei, duodecim cum dimidia aquæ acidulæ. \*\*

#### §. XVI.

---

\* Bayrischer Bienen Meister 1te Betrachtung S. 9.

\*\* Lemery Chemie.



## §. XVI.

Præter nunc recensitam speciem ceræ alia adhuc in alveari reperitur, quæ longe vilior est, nec alii usui inservit, quam fis, furis, & commissuris alvearis claudendis (harum enim apes impatientes sunt:) & vocatur Mitis, Commosis, Erythacen, Piffoceros; Plinius hæc quatuor distinguit, & pro basi operæ statuit, videtur tamen unica materies esse, quæ cera non est, sed hac crassior, illi tamen analogæ, grysea, glutinosa ex summi tatibus pini sylvestris, & aliarum specierum collecta quam apes in globulos formatam cruribus agglutinant, domum referunt, & in dictos usus impendunt. Nec Propolis, *Borstzß*, distingueretur, qua apes aditum imminente hyeme pro parte occludunt. Unde Virgilius, \*

- - - pars intra septa domorum

Marcissi lacrymam, & lentum de cortyce gluten

Prima fâvis ponunt fundamina, deinde tenaces


Suspendunt ceras.

## §. XVII.

---

\* Lib. Georg.





## §. XVII.


Notandum est, quod non omnis cera ab apibus elaboretur, sic in Lusatia, Florida, Carolina, & in Americæ Septentrionalis Provinciis ex fructu cujusdam arboris excoquitur, pari ratione in China ex vermibus niveo candore præstantissima obtinetur, hoc tamen non obstante cera apium productum est, nunquam enim ex similibus genuina excoqui potest, sic adhuc alia datur species ceræ viridis, quæ vero non sunt hujus loci.

## §. XVIII.

Commemoratione adhuc digna est cera nigra, quam a peculiari apum genere in insulis Caribæis colligi, & in cavitates arborum deponi vidit Illusti. Professor de Jacquin, hæc de albationem respuit, & tantum claudendis lægenis, in quibus spiritus affervantur, dicatur, ne autem spiritum odore suo inquinet, collum vitri subere exactissime clausum cera liquefacta superaffusa obducitur.

## §. XIX.





## §. XIX.

Usum ceræ, nemo est, qui ignoret, nam præter usum œconomicum ad candelas conficiendas etiam usum habet medicum, vi enim emolliente, uti aliæ pingues substantiæ, gaudet, & unguenta Emplastra, Balsama, Cerata ingreditur, dein etiam proficit Butyrum ceræ, asperis hæmorrhoidum doloribus, partibusque Excoriatione dolentibus illinitum bonum, oleum, quod repetita destillatione limpidum factum in curandis fissuris incomparabile medicamentum esse scribit Cl. Crantz,


## §. XX.

*Mel.*

Alterum apium productum Mel est, Est substantia liquefscens, crassiuscula, ex albo flavesccens, saporis dulcissimi, nata in nectare, ab apibus collecta *Germ.* Honig *Gallis* Miel, *Græcis* μέλι, *Anglis* Honey. *Boëmis* Med.

## §. XXI.






## §. XXI.

Eductum hoc a Curatore maxime desideralum apes proboscide sua ex variorum florum nectariis exsugunt, in capsula seu vesicula infra proboscidem sita colligunt, & eadem via domi in cellulas deponunt; an Mel, qua tale ex Plantis exsuctum manet? an in vesicula hac mutationem subit, & initium fermentationis patitur? Locus calidus, humidus est, nec repugnat, quia aëri accessus pateat: Swamerdam dicit, in hac capsula mel attenuari, & cum succo, qui ex copiosis totum hunc tractum circumdantibus glandulis exsudat, commisceri, infra hanc vesiculam alia huic similis locatur, in quam pariter via ex proboscide patet, & ventriculus audit, hac via Mel deglutitur, & in ventriculo in proprium nutrimentum concoquitur.

## §. XXII.

Plantæ, ex quibus apes Mel sugunt, innumeræ sunt, sed notandum, quod non omnibus utantur sine discrimine, nam plantas, quæ majori mellis copia turgent, præferunt sapienti certe consilio, cur majori  
la-





labore, & temporis dispendio colligerent, quod minori præstare possunt? Dantur vero plantæ, quæ sat copiosum Mel continent, cum autem tubus calicis nimis longus, & angustus, hinc iis accessus denegatur, uti in trifolio,

### §. XXIII.

Præter Mel alia species cibi reperitur, de quo supra mentionem feci, panis videlicet, qui nil aliud quam pollen antherarum est, quo apes gerulæ crura sua onerant, \* & reduces in cellulas deponunt. Panis autem proprie vocatur Pollen cum melle & aqua mistum, qui alendæ proli dicatur.


### §. XXIV.

Jam vero quidam minus peritus, si in alveare introspiciat, dubitare posset, ubi-  
nam

---

\* Hinc *Germanis* *Hosen* audiunt.






nam Mel & ubi Panis in favis reperiendus sit? qua ratione a foetu occluso distinguendus? Et an indiscriminatim absque ordine hæc alternatim locantur? certum ordinem in hoc negotio apes servant, ita, ut in medio favorum, ubi copiosissime apes colliguntur, foetus hæreat, superiori loco, ac postico Mel, panis vero plerumque inter foetum & Mel reperitur, qui his duobus quasi limites ponit. Hæc probe discriminanda sunt, secus metens favorum crates mel unam cum foetu excindet, & omnia pessumdabit, mel nocuum, & ingratum reddet. Hæc, quemadmodum scitu quam maxime necessaria apiariis sunt, ita etiam facillime dijudicantur; opercula enim foetus magis convexa, mellis autem magis concava sunt. Si apiarius ad ea non advertat, præcipue si in autumno castrationem alvearium instituat, facile omne Mel excindere poterit, & cellulas sigillatas, in quibus foetus hæret, melle plenas putabit, sicque cibo alveare suum poliabit, & apes hyeme fame peribunt,

## §. XXV.

Ufus mellis tam in Oeonomicis, quam Medicis maximus est: grata enim sua dulcedine omnibus placet, licet parva exceptio






tio interdum admittenda sit, sic Mel sardoum amarum in sardinia ex absynthio colligi refert Diodorus. Heraclæce in Ponto quibusdam anni temporibus mel colligi, quod mentem alienat, & sudore perimit, refert Plinius. Hæc pro varietate Plantarum varia esse jam supra dixi. Mel etiam distingui solet ratione temporis, & examinis, unde Mel vernum, æstivum, seu horræum, virgineum appellari solet. Hæc ultima species optima censetur. Mel a Medicis vario scopo exhibetur, & gaudet vi saponacea, balsamica, maturante, detergente, expectorante, antidota. Solvitur in aqua, & spiritu vini, si diutius stagnet, fermentationem subit spontaneam, præcipue vero, si loco calido detineatur. Color ejus est varius, potissimum vero aut albicat, aut flavescit.

## §. XXVI.

Mel jam ab antiquis in usum alimentarem, & medicum vocatum fuit; ad longævitatem ducere Pollio, & Democritus statuebant, cum sacchari usus iis nondum notus erat, hinc suos Syrupos, μελιτωμα, a nobis barbare conservam, μελιτεσμος, linctum,





Eelegma, *μελιχρατες* &c. cum melle præparabant, nec hodiernæ officinæ præparatis Mellis destituuntur, sic prostat oxymel simplex, squilliticum, Colchicum, Mel despumatum, Rosaceum.


## §. XXVII.

Oxymel simplex paratur, si aceti pars una, mellis partes duæ in justam consistentiam coquantur; si Mel cum succo herbæ alicujus, aut cum ejus infuso, aut decocto ad justam Mellis consistentiam coquatur, nomen ab ipsa herba ducit, uti Mel rosaceum.

## §. XXVIII.

Restat adhuc dicendum, quomodo Mel, & Cera in favis adhuc hærentes separentur: hoc vi præli, aut si parva favorum quantitas habeatur, vulgari manuum pressione fit; quod ut eo facilius succedat, favi antea in cubili calefacto locantur, ut emolliantur, & Mel facilius reddant. Cera post expressionem residua aqua elutriatur, ex aqua conficitur hydromel sequenti ratione: huic  
aquæ






aquæ additur sufficiens quantitas Mellis  $\frac{1}{2}$  pars, & coquitur tam diu, donec spumescere desinat, tum ab igne removetur, reponitur quieti, & immittitur sacculus aromatibus, nempe cinnamomo, caryophyllis — repletus, & fermentationi committitur, qua perfecta habetur potus optimus, vinosus, inebrians, fœminis vilioris conditionis potissimum adamatus, *Meth* dictus; hic liquor etiam parari potest, si aquæ simplici, aut vino Mel addatur, & dicta methodo procedatur. Cum autem cera post elutriationem nondum pura ab omni Melle sit, hinc iterum cum aqua coquitur, & a in vase conoideo loco frigido detinetur, tum quisquiliæ fundum petunt, & cera inde purior evadit.

Ex aqua præcedenti elutriatione Melle imbuta etiam optimum acetum Mellis conficitur, si ei sub coctione paululum aceti vinosi addatur, & in locum tepidum reponatur, ut fermentatio acida peragi possit.

## §. XXIX.

Mel & Ceram præmium suorum laborum Curator loco frigido per duos, etiam tres annos conservare potest; donec opportuna occasio se obtulerit, hæc cum lucro dividendi.





## §. XXX.

Solent quidam suos subditos adigere, ut mel sibi unice, nec aliis divendant, unde fit, ut Curatores metu adacti Mercedem hanc Superioribus quocunque pretio consignent, nec ipsi met commercium utilius inire audent: abominabilis hæc injuria vindicanda videtur.

---



---

# POSITIONES.

---


## I.

In Pleuritide inflammatoria optimum expectorans est larga  
V. S.

## II.

Qui sine discrimine Pleuritidem  
V. S. aggreditur, ægris male





confulit; ludit enim sæpe sub  
larva alterius febris, quam  
inflammatoriæ.


### III.

Sola expectorantia adhibita sine  
V. S. plerumque causa sunt  
Empyematis & Phytiseos pul-  
monalis.

### IV.

Una larga V. S. in Pleuritide  
mox ab initio celebrata plus  
juvat, quam tres minores  
per intervalla adhibitæ.





## V.

Crusta inflammatoria in sanguine pleuriticorum anceps signum est repetendæ V. S.


## VI.

Sanguis vena missus si perpendiculariter per cutim dimanet, sæpe crusta destituitur, in summa licet inflammatione, cur? ignoratur.

## VII.

Pleuritis confirmata in adultis raro minori, quam XXXX.





circaiter unciarum sanguinis  
missione sanatur,

### VIII.

Diarrhoeam Pleuritidi superve-  
nientem optime sanat V. S.


### IX.

Seu Vena in brachio, seu in pe-  
de, extra lectum, aut in le-  
cto, cubanti secetur, idem  
est.

### X.

Dolores vagi sæpe majori jure  
morbis nondum formatis ad-  
scri-





scribuntur , quam Rheumatismo , & Arthritidi latenti, aut suppresso perspirabili.


## XI.

Affectiones Hystericæ , & Hypochondriacæ non ab inordinato motu liquidi nervei, sed potius a materie quadam nondum determinata Nervos petente repetendæ.

## XII.

Hinc Medicamenta Nervos sopientia omnem spem eludunt,





dunt , & tantum palliativa sunt , unde hæc ignota materies nervos obsidens immediate est aggredienda.

### XIII.


Cardiaca parturienti data vix unquam necessaria , quin potius sæpe nociva reperiuntur.

### XIV.

In Phrenitide licet exhibere vomitorium sub certis quibusdam conditionibus.

### XV.





## XV.


Opium in inflammatione veritate propinari potest a perito.

## XVI.


Dyffenteria, & Rheumatismus idem morbus est, & eandem medelam admittit.

---











THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1850  
1851  
1852  
1853  
1854  
1855  
1856  
1857  
1858  
1859  
1860  
1861  
1862  
1863  
1864  
1865  
1866  
1867  
1868  
1869  
1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900